

§. 1. Hoc adjecto; quod Domino Palatino in longinquō existente; insufficiētibus Vice-Comitibus, vel Supremis Comitibus; Capitaneus Regni Supremus, irremissibiliter, pro excessībus eorum, tales Nobiles et Hajdones, eorundemque fautores et intertentores (si necesse fuerit, levatis etiam Comitatuum Gentibus, ac finitimarum Arcium militibus) persequendi; eosque Juris ordine, Capitis poena puniendi, habeat potestatis facultatem.

§. 2. Idem faciat in Sclavonia Dominus Banus. \*)

*De externo milite ex Sclavonia et Croatia amorendo et Banali authoritate restituenda.*

### A r t i c u l u s 27.

Quia autem Articulus \*\*) Anni proxime praeteriti de Generalibus et aliis exterrnis Praefectis; et Confiniis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae; ac externo milite, ex Arce et Civitate Varasdinensi, loco videlicet Comitatus ejusdem Judiciario, educendis; atque vetusta dignitatis Banalis authoritate restituenda; nec non intentione et solutione militum eorundem Confiniorum, per Serenissimum Archi-ducem Ferdinandum, ejusque Inlytas Provincias Styriam, Carinthiam, Carnioliam, satis clarus et manifestus, hactenus in nulla sui parte adimpletus sit; quem ut sua Majestas Regia, secundum benignam suam, in eodem Articulo expresse factam oblationem, tandem ad debitum effectum deducat, Statutum est:

§. 1. Quod ut commodius finem optatum sortiatur; requiratur sua Serenitas, tam per literas et speciales Nuntios ac Commissarios Regiae Majestatis; quam Regnicolarum, infra denominatos, ut sua Serenitas, annotatorum Confiniorum, tanquam antemuralium et certissimae custodiae Provinciarum suarum, ea conditione assumat Administrationem; ut Dominus Banus, omnibus Praefectis immediate, post suam Serenitatem, amodo deinceps plena et omnimoda ac vetusta authoritate praesit; \*\*\*) Atque cum sua Serenitate, in rebus bellicis, mutuam habeat correspondentiam; Suaque Serenitas, Praefecturas Confiniorum, ex commendatione Domini Bani, indigenis et Legibus patriis subjectis conferat; solitaque stipendia, munitiones et alia necessaria (ut hactenus, ita deinceps quoque) benigne fieri procuret.

§. 2. Et ut Dominus Comes Palatinus, pro Officii sui exigentia, habita cum Domino Bano mutua intelligentia, cum praescitu suae Majestatis, vias et rationes, quo potuerit invenire opportiores et meliores exquirat; quibus praemissa ad effectum deduci queant; Regnicolae statuunt.

\*) Observandus decernitur praesens Articulus; An. 1618. art. 20. An. 1625. art. 16. An. 1647. art. 95.

\*\*) Nempe 11. ante Coronat.

\*\*\*) Confirmatur; An. 1630. art. 25. An. 1635. art. 31., 32. et 34. An. 1638. art. 32. An. 1687. art. 22. An. 1715. art. 114. An. 1723. art. 87. An. 1729. art. 20. Et An. 1741. art. 47.